



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 10. Quæ, & quanta requiritur Oratio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

162 P. 3. De Jubileo extraordinario.

Vega, Graffio, Azorio, Henriquez, & aliis, & quos afferunt & sequuntur Bonacina n. 25. Diana sup. n. 102.

Quòd si in aliquo templo sint pauciora Altaria, quàm visitari præscribarur: satisfacies, te versus unum illorum saltem inclinando toties, quoties te inclinares, si omnia requisita Altaria adessent, secundùm Dianam *ibid.* referente Gobato n. 131. Simon Pourré p. 2. c. 5. n. 3. cum pluribus aliis.

Q. 10. *Quæ, & quanta requiratur Oratio?*

R. 1. Mentalis absolutè sufficit. Bulla enim solam precationem requirit; qualis est mentalis, quæ solam vocalem præcellit, juxta Hieronymum, ait Navarrus, *Notab.* 32. n. 48. Navarrum sequitur Gobat n. 137. confirmans etiam ex praxi Ecclesiæ non rarò concedentis Indulgentias pro actibus merè internis; item Filliucius n. 257. Trullenck, *De Bullâ Cruciatæ,* & alii, apud Quintanad. *Append. tr. 1.*
dub.

dub. 14. Tutius tamen, miscere aliquam orationem vocalem.

R. 2. Per se loquendo, nihil ad acquisitionem Indulgentiæ Jubilæi interest, siue illa oratio sit longa, siue brevis; siue hac, siue illâ linguâ; siue alternatim cum socio: siue genibus flexis, siue stando, aut sedendo fiat: quamquam omnibus suadendum est, ut longas, & modesto corporis situ preces fundant. Diana p. 5. tr. 12. R. 33. cum Bossio, & Alphonso de Leone; Gobat n. 140.

Nec refert, quòd oratio expressè ad Beatissimam Virginem, aut Sanctos dirigatur, puta, dicendo Rosarium, Ave Maris Stella, &c. in Bullâ autem exigatur, ut oretur Deus. Nam orando B. Virginem, Sanctos, oratur Deus mediatè; cum à B. Virgine & Sanctis petamus, ut pro nobis apud Deum intercedant. Lugo n. III.

Quòd si præscribatur oratio indeterminatè, seu solum ut oretur; tunc minima oratio sufficiet. Suarez *Disp.*

164 P. 3. De Jubilæo extraordinario.
52. Sect. 8. n. 5. Filiucius n. 153. Al-
loza v. Indulgentia, Sect. 4. n. 21. Go-
bat n. 140. &c.

Si autem Bulla sonet : *Ibique per aliquod temporis spatium devotè oraverint*; sufficiet, quinies recitare Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, aut alias orationes æqui circiter temporis. Nam & physicè & moraliter dicitur quis per aliquod temporis spatium orasse, garrivisse, &c. qui tanto tempore craverit, garriverit, &c. quanto solent à Fidelibus devotè quinies recitari *Pater & Ave.* Gobat *ibid.*

Q. II. *Quâ intentione & attentione debeat fieri oratio?*

R. 1. Debet fieri ad intentionem Papæ expressam in Bullâ, ut adhuc diximus *Parte I. Sect. 2.* & sigillatim monent Lezana, Diana, Lugo, Gobat n. 141.

R. 2. Requiritur attentio exterior; ut certum est apud omnes, etiam pro recitatione Officii Canonici. An
etiam